

* Si auctor persecutus fuisset lectionem textus a semetipso allegati, jam comperit habuisset, Papiniani opinionem in desuetudinem abiisse. Nam post verba ab auctore allata, illico subdit Justinianus: « Sed divi Severus et Antoninus rescripserunt, ex iis codicillis qui testamentum præcedunt, posse fideicommissum peti, si appareat eum, qui testamentum fecit, a voluntate quam in codicillis expresserat, non recessisse. » Ex his constat huiusmodi codicillos intelligi confirmatos, modo non sint revocati.*

(14. Quamvis non possit quis duo testamenta facere, ita ut ambo valeant, cum per posterius rumpatur prius, textu expresso in § *Posteriore* 2, instituit. *Quibus modis testamenta infirmantur*, ibi: « Posteriore quoque testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur; » cum similibus; (15. potest tamen quis duos vel plures validos codicillos facere, textu expresso in § *Codicillos autem* 3, cod. *De codicillis*, ibi: « Codicillos autem etiam plures quis facere potest; » et l. *Divi*, § 1, ff. *De jure codicillorum*, ibi: « Codicillos et plures quis facere potest. » (16. Non revocatur prior per posteriorem, nisi quatenus sibi contrarii sunt. *Communis*, per textum expressum in l. *Cum proponatis* 3, cod. *De codicillis*. Et ratio disparitatis est, quia in codicillis res singulares tantum relinquuntur, et ideo possunt quædam res relinqui in uno codicillo, et quædam aliæ in altero, et sic uterque potest subsistere absque contrarietate. In testamentis autem relinquuntur necessario hæreditas, quæ est successio in universum jus defuncti; l. *Hæreditas* 52, ff. *De reg. juris*, ibi: « Hæreditas nihil aliud est quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit; » et ideo prius testamentum rumpitur per posterius, cum non possit utrumque subsistere cum tali contrarietate relicta integræ hæreditatis.

(17. Dispositio dicentis se velle testamentum facere, si ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, neque valebit ut codicillus, quamvis omnes solemnitates requisitæ ad codicillum concurrant, nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem. *Communis*, text. expresso in l. *Sæpissime* 1, ff. *De jure codicillorum*, ibi: « Sæpissime rescriptum et constitutum est, eum qui testamentum facere opinatus est, nec voluit quasi codicillos id valere, videri nec codicillos fecisse; ideoque quod in illo testamento scriptum est, licet quasi in codicillis poterit valere, tamen non debetur. »

(18. Et idem est sentiendum, quamvis quis expresse quidem non dicat, quod testari velit, sed tantum hæredem instituat vel exhæredationem faciat, quia sic faciendo præsumitur, quod testari voluerit, per textum in leg. *Non codicillum* 14, cod. *De testamentis*, ibi: « Non codicillum, sed testamentum aviam vestram facere voluisse, institutio et exhæredatio facta probant evidenter. »

(19. Dicitur autem notanter in conclusione: « Nisi talis dispositio clausulam ha-

beat codicillarem; » quia si testamentum habeat talem clausulam codicillarem, quamvis ex defectu solemnitatis non valeat ut testamentum, valebit tamen ut codicillus. *Communis*, per textum in l. *Si quis* 8, § 1, cod. *De codicillis*, et l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*.

(20. Unde clausula codicillaris est, quam testator testamento apponit, et per eam expresse, vel tacite declarat, quod si sua ultima dispositio ex defectu alicujus solemnitatis non valeret ut testamentum, valeat tamen ut codicillus. Ita in re *Communis*.

(21. Duplex igitur est clausula codicillaris, expressa scilicet, et tacita. *Expressa* est, dum testator expresse dicit, v. g.: « Si hæc mea dispositio non valet vi testamenti, volo ut valeat vi codicilli; » *tacita* est, dum testator id non expresse, sed tacite vel virtualiter innuit, dicendo, v. g.: « Si hæc mea dispositio non valeat ut testamentum, volo ut valeat omni meliori modo quo potest. » Sic *Communis* doctorum, argum. l. *Si quis* 8, cod. *De codicillis*, l. *Sæpissime* 1, ff. *De jure codicillorum*, et l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Si jure* 11, cod. *De testamentaria manumissione*.

(22. Effectus clausulæ codicillaris, sive expressæ sive tacitæ, sunt plures, et præcipui sunt sequentes. Primus est, quod in casu, quo testamentum ex defectu alicujus solemnitatis ad ipsum requisitæ est nullum vigore testamenti, valet nihilominus vigore codicilli, seu ut codicillus; unde quamvis hæredis institutio omnino irrita sit, tamen hæres ab intestato succedens tenetur solvere omnia legata ac fideicommissa particularia in tali nullo testamento recepta; et hoc propter adjectam illam clausulam codicillarem. *Communis*, per text. in cit. l. *Si quis* 8, § 1, c. *De codicillis*, cit. l. *Si jure* 11, c. *De testamentaria manumissione*, et cit. l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*.

(23. Secundus effectus est quod, si testator carens hæredibus necessariis in huiusmodi irritato et invalido testamento instituat hæredem extraneum, virtute dictæ clausulæ codicillaris institutio directa vertitur in fideicommissariam, et proximi hæredes ab intestato tenentur restituere hæredi extraneo in tali irritato testamento per modum fideicommissi instituto totam hæreditatem, sola pro se retenta Trebellianica. Jason., in authent. *Ex causa*, 22, cod. *De liber. præter.*; Tuscus, *loc. cit.*, conclus. 404 et seq.; Layman, l. III, tr. 5, c. 8, n. 4; Gailus, lib. II, observ. 114; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 720, et alii communiter, per text. in l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Sævola* 76, ff. *Ad senatusconsult. Trebellian.*, l. *Si frater* 5, cod. *De fideicommissis*; et l. *Si quis* 8, cod. *De codicillis*.

(24. Item si testator, hærede necessario scienter præterito vel injuste exhæredato, in tali testamento nullo instituat hæredem extraneum, virtute dictæ clausulæ codicillaris tenetur hæres necessarius restituere dicto instituto hæredi extraneo totam hære-

ditatem, sola retenta pro se legitima et Trebellianica simul: ita Clarus, § *Testamentum*, q. 16; Tuscus, lib. VI, conclus. 292, n. 1; Gailus, *loc. cit.*, n. 3, dicens hanc conclusionem esse indubitabilem; Layman, *loc. cit.*, cum Molina, disp. 132; Reiffenstuel, l. c., n. 721, et ipso teste *Communis* aliorum, arg. citatis iuribus.

(25. Tertius effectus est, quod hæres institutus in tali testamento possit pro libitu agere, vel ex testamento, vel in vim codicilli, id est possit, vel vi testamenti petere totam hæreditatem in ipso sibi relictam, vel timens testamentum non subsistere, agere in vim codicilli, et vi illius petere, ut hæreditas per modum fideicommissi sibi restituatur, cum hac tamen advertentia, quod si hæres institutus incepit agere ex testamento, non possit amplius variare et hæreditatem petere in vim codicilli, nisi esset ex agnatis usque ad quartum gradum, vel ex cognatis usque ad tertium gradum. *Communis*, textu expresso in l. *Si quis* 8, § 1 et 2, cod. *De codicillis*, ibi: « Illo electionis videlicet jure perdurante, ut, qui ex testamento agere voluerit, ad fideicommissum migrare non possit. Si quis vero ex parentibus utriusque sexus, ac liberis usque ad quartum gradum agnationis vinculis alligatus, vel cognationis nexu constrictus usque ad tertium scriptus hæres fuerit vel nuncupatus, in eo videlicet testamento, quod testator vicem quoque codicillorum voluit obtinere, licebit ei, si de hæreditate ex testamento secundum mortui voluntatem agens fuerit securus, vel certe ipse sponte voluerit, ad fideicommissum subsidium convolare. »

(26. Testamentum autem minus solemne non potest vi dictæ clausulæ codicillaris valere ut codicillus, nisi habeat saltem solemnitates ad codicillum requisitas, nempe quod interfuerint quinque testes et adhibiti fuerint uno eodemque tempore, et si in scriptis conficiatur codicillus, dicti testes suam subscriptionem interposuerint, ut patet ex l. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*, et ex dictis supra n. 6. (27. Excipie tamen, nisi dispositio esset ad pias causas seu inter liberos, quia tunc sufficerent duo testes, ut patet ex dictis supra n. 7.

(28. Ad complementum de codicillis advertendum est quod codicilli introducti fuerint et præcipue inserviunt ad fideicommissa et legata relinquenda. Item ad testamentum declarandum, immutandum, minuendum, augendum et addendum, vel demendum, et huiusmodi, salva semper tamen hæredis institutione, cum hæreditas per codicillum, nec dari, nec adimi possit, ut patet ex § *Codicillis autem* 2, instit. *De codicillis*, et l. *Hæreditatem* 2, cod. *De codicillis*. (29. Et primus, qui codicillos introduxit, fuit Lucius Lentulus, ut expresse habetur in princip. institut. *De codicillis*, ibi: « Ante Augusti tempora constat codicillorum jus in usu non fuisse, sed primus Lucius Lentulus (ex cujus persona etiam fideicommissa esse cæperunt) codicillos introduxit, » etc.

Alia ad rem præter supra notata artic. 1 vide verb. FIDEICOMMISSUM, verb. LEGATUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Solet clausula codicillaris apponi testamentis rusticorum, mulierum et aliorum, qui ejus vim haud intelligunt. Quæstionis propterea est, an ea in hisce testamentis expressa effectus suos pariat?

(31. Sunt qui negant, idque quia cum personæ hæ clausulam ejusque effectum ignorent, hinc non præsumunt rogasse hæredem ab intestato, ut iis vi clausulæ illius præstanda præstet. Vide quos pro hac sententia citat doctores Turrett. *De effect. et defect. clausul. codicill. q. 9, n. 3.*

(32. Affirmativa tamen prævaluit sententia. Mox dictæ enim personæ adhibendo notarium, censetur eum rogasse, ut ita condat testamentum, ut omni meliori modo subsistere possit. Jam ergo non commodius sustinetur, quam per clausulam codicillarem. Ergo ut hanc quoque addat, voluisse videntur. Qui enim vult finem, censetur etiam voluisse media ad finem conducentia. (33. Quapropter clausulam codicillarem semper voluntate testatoris adjectam præsumi, tradunt post alios Carpzov., lib. VI, respons. 7 per tot.; Castill., lib. IV *De conjectur. ultim. volunt.*, cap. 49, n. 27.

ARTICULUS V.

Quoad ea quæ concernunt revocationem seu mutationem, irritationem, ruptionem et destitutionem testamenti et codicilli.

SUMMARIUM.

1. Quilibet testator potest usque ad mortem semper, et pro libitu suum testamentum et codicillum penitus revocare aut mutare. — 2. Etiam si promiserit, seu pacto se obligaverit de non revocando aut mutando. — 3. Et etiam si fuerit a principe confirmatum. — 4. Dummodo tamen in posteriori testamento mentionem faciat, quod non obstante tali promissione et pacto velit revocatum testamentum prius. — 5. Quæ tamen mentio non est necessaria si testator secundum testamentum juramento confirmet. — 6. An revocari possit testamentum, quod testator juravit se non revocaturum, ad num. 7. — 8. Etiam testamentum reciprocum inter conjuges et alias personas potest a quovis conjugum, seu a quovis ex illis personis pro sua parte libere revocari etiam inscio vel invito altero. — 9. Et id valet, sive unus ex illis jam obierit, sive ambo adhuc vivant, sive alter revocationem sciat et consentiat, sive nesciat aut contradicat. — 10. Item id etiam valet quamvis in una et eadem charta fuerit scriptum tale reciprocum testamentum. — 11. Quando una pars clandestine suum revocat testamentum reciprocum, censetur etiam ab altera tacite revocatum et suum. — 12. Testamentum reciprocum potest fieri ore tenus et in scriptis, eodem vel diverso tempore, et quomodo. ad n. 15. — 14. Affertur specialis advertentia pro testamentis reciprocis conjugum. — 15. Testamentum revocari potest et verbis et factis. — 16. Revocatio testamenti facta nudis verbis, ut sit valida, duo copulative requirit, quæ assignantur. — 17. Testamentum censetur vere revocatum factis, nedum per validam alterius posterioris testamenti confectionem, sed etiam per ipsius cancellationem, deletionem, incisionem, lacerationem, inductionem, corruptionem, exustionem, vel alio simili modo a testatore, vel

eius mandato ab alio consulto factam. — 18. Non censetur autem revocatum factis, si prædictæ additiones, et aliæ similes fiant inconsulte seu fortuito, dummodo hæres institutus adhuc legi possit. — 19. In dubio an fuerit consulto vel inconsulto cancellatum, præsumendum est fuisse cancellatum consulto, si testamentum apud testatorem servabatur; secus vero, si alibi. — 20. Si testator omnem scripturam testamenti cancellavit, etiam quoad legata censetur revocatum. — 21. Imo etiam si testator non totam scripturam cancellat, sed solum aliquid substantiale, sine quo ultima voluntas consistere nequit, totum testamentum etiam quoad legata censendum est revocatum. — 22. Si testator consulto cancellaverit in testamento solum nomen unius ex pluribus hæredibus, testamentum non censetur revocatum quoad alios, sed ille solus erit exclusus, et tota hæreditas debetur hæredibus non deletis. — 23. Si autem testator consulto deleverit nomina omnium hæredum, tunc testamentum corrumpitur, quoad institutionem respectu omnium, sicuti corrumpitur, si deleatur nomen hæredis solius instituti, et tunc datur successio ab intestato. — 24. Deletis consulto nominibus omnium hæredum, nedum corrumpitur testamentum quoad institutionem, sed probabilius corrumpitur etiam quoad legata profana. — 25. Alii tamen non improbabilius sentiunt contrarium. — 26. Testamentum facto revocatur per posterius legitime conditum, quamvis hoc posterius non sortiatur suum effectum. — 27. Et id etiam currit, quamvis in primo testamento hæres fuisset ex Asse institutus, in secundo autem in re certa. — 28. Item etiam si prius testamentum clausulam derogatoriam contineat; dummodo talis derogatoria clausula fiat mentio in testamento posteriori revocatorio. — 29. Ad id autem requiritur quod testamentum posterius sit rite et legitime factum. — 30. Vel si non sit legitime factum, necesse est ut in ipso institutus sit, qui alias ab intestato succederet. — 31. Testamentum prius legitime factum rumpitur per posterius privilegium. — 32. Item testamentum prius ad acta, seu coram principe factum revocari potest per aliud posterius sine actis, seu in absentia actorum ordinaria, vel privilegiata solemnitate factum. — 33. Testamentum parentum inter liberos non aliter revocari potest, quam per aliud testamentum coram septem testibus legitime factum. — 34. Testamentum nedum potest revocari, sed etiam potest irritari, rumpi et destitui. — 35. Testamentum irritari quid sit? et quomodo, ac quando fiat? — 36. Testamentum rumpi quid sit? et quomodo, ac quando fiat? — 37. Testamentum destitui quid sit? et quomodo, ac quando fiat? — 38. Revocari possunt non solum testamenta, sed etiam aliæ ultimæ voluntates, videlicet legata codicilli et donationes mortis causa. — 39. Et quidem legata revocari possunt factis, verbis et signis intra et extra testamentum, expresse et tacite, dummodo concurrant eadem solemnitates, quæ ad eorum confectionem requiruntur. — 40. Facto revocantur legata, quando ipsa serio ac consulto delentur, cancellantur aut calamo inducuntur. — 41. Confectione tamen posterioris legati aut codicilli, legatum aut codicillus antecedens non revocatur in quantum eidem contrarius existit. — 42. Legata revocari possunt etiam verbis, signis et nutu, et quomodo. — 43. Tacite revocantur, vel potius revocata ipso jure censentur legata, si testator in vivis rem legatam alteri donaverit, etiam si talis donatio fuerit invalida. — 44. Item tacite ipso jure revocata censentur legata, si testator nulla urgente necessitate titulo oneroso illa alienet, vendat seu commutet. — 45. Si vero rem legatam testator ex necessitate urgente alienaverit seu hypothecaverit, non censetur revocatum legatum, nisi hæres probet voluisse per id testatorem legatum revocare. — 46. Item tacite ipso jure censetur revocatum legatum, si capitales et graves inimicitie oriuntur inter testatorem et

legatarium; non autem si solum levet, et idem est dicendum si legatarius gravem irroget injuriam testatori. — 47. Si autem ante mortem in amicitiam redeant, reviviscit iterum legatum. — 48. Item ipso jure revocatum, seu potius exspiratum censetur legatum, si legatarius ante testatorem moriatur. — 49. Alia ad rem ad n. 53. — Subnectuntur *addit. ex aliena manu* a n. 54 ad 56.

(1. Quilibet testator potest usque ad mortem semper et pro libitu suum testamentum et codicillum penitus revocare aut mutare. Sic doctores communiter per clarum textum ex l. *Quod si 4*, ff. *De adimendis legatis*: « Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum; » et novissima ipsius voluntas est servanda, textu expresso in l. *Translatio 6*, ff. *De adimendis legatis*, ibi: « Novissima enim voluntas servatur. » Et sic Rota rec., part. iv, tom. II, decis. 456, n. 16; part. x, decis. 103, n. 33 et 34, et sæpe alibi.

(2. Etiam si promiserit seu pacto se obligaverit de non revocando aut mutando. *Communis*, per text. in cit. l. *Si quis 24*, ff. *De legatis 3*: « Nemo enim, » ut expresse ibi dicitur, « eam sibi potest legem dicere, ut a priori (voluntate) ei recedere non liceat; » sic expresse Glossa in cap. *Cum Marthæ 9*, verb. *Non valet*, De celebrat. missar., ibi: « Unde potest mutari testamentum, etiam si pactum intervenierit, ne possit mutari, » per text. in leg. *Pactum quod dotali 15*, cod. *De pactis*.

(3. Et etiam si fuerit a principe confirmatum, sic expresse Glossa in cap. *Martha*, verb. *Non valet*, per text. in l. *Omnium testamentorum 19*, cod. *De testamentis*, quia dicit Glossa *ibid.*: « Nemo hanc legem sibi dicere potest, ut a priori testamento sibi recedere non liceat, » per citat. leg. *Si quis 22*, ff. *De legat. 3*.

(4. Dummodo tamen in posteriori testamento mentionem faciat, quod, non obstante tali obligatione seu promissione de non revocando, velit revocatum testamentum prius, l. *Si mihi et tibi 12*, § final., et ibi Glossa, verb. *Non valebit*, ff. *De legatis 1*, et cit. l. *Si quis 22*, ff. *De legatis 3*, ubi postquam dictum est: « Nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priori testamento ei recedere non liceat; » statim subiungitur: « Sed hoc ita locum habebit, si specialiter dixerit, prioris voluntatis sibi penituisse. » Sic Fachineus, lib. iv, cap. 29; Reiffenstuel, lib. iii *Decretal.*, tit. 26, n. 730; Monachus, lib. iv, præsumpt. 166, n. 25 et 26, ubi plurimos alios citat, verèque asserit hanc esse receptam et communem sententiam contra Bartol., in leg. *Si quis 11*, n. 9, ff. *De legat. 3*; Fabrum, *Morandum*, et alios volentes etiam, ut sine mentione prioris clausulæ derogatoriæ possit revocari, vel censeatur revocatum per posterius testamentum.

(5. Non est tamen necessaria talis mentio, si testator posterius testamentum juramento confirmet. Covarruvias *De testament.*, part. ii *Rubric.*, n. 59; Molina, disp. 143, n. 26; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 740, et

ipso teste, communis aliorum, quia tunc merito præsumitur penitere prioris voluntatis, quamvis nullam penitus mentionem faciat prioris testamenti aut clausulæ derogatoriæ prioris voluntatis eidem insertæ.

(6. An autem revocari possit testamentum quod testator juramento confirmavit se nullatenus revocaturum, variant doctores. Communior et probabilior canonistarum tenet, quod tale testamentum saltem licite revocari nequeat. Glossa, in can. *Ultima voluntas 4*, caus. 13, quæst. 1, quia, ut dicit ipsa, « hoc juramentum non vergit in interitum salutis æternæ, ergo est servandum, » ut extra. *De jurejurando*, Si vero; Molina, *loc. cit.*, n. 741; Albert., in l. 1, cod. *De sacrosanct. eccles.*, et ipso teste apud Clarum, § *Testamentum*, qu. 94, n. 3, communior canonistarum argum. capit. *Si vero 8*, et cap. *Cum contingat 28*, de jurejurando, ubi universaliter decernitur quod omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, nec in interitum salutis æternæ, sit omnino servandum et adimplendum, quamvis caderet super actu legibus infirmato, ut expresse habetur in Summario dicti cap. *Cum contingat*, ibi: « Juramentum præstitum super actu a lege infirmato. » Legistæ autem defendunt communiter quod tale testamentum adhuc revocari possit, uti asserunt et tenent Clarus § *Testamentum* qu. 94, n. 3; Alexander in l. *Stipulatio hoc modo* n. 1, ff. *De verbis obligat.*; Dauth., *De mutat. testam.*, n. 89 et seq., argum. cit. leg. *Si quis 22*, ff. *De legat. 3*. Et id expresse statuitur in jure Bavarico teste Land-Recht; t. XXXIV, art. 15. (7. Quæ legistarum opinio admittenda revera est in casu, quo gravis prius non prævisa emergeret mutatio circumstantiarum, ut si graves inter testatorem et hæredem ortæ essent non prævisæ inimicitie, et hujusmodi: juramentum enim, sicut et cæteri actus, tacitam includit conditionem, *rebus sic stantibus*, prout tenet communis doctorum, argum. cap. *Quemadmodum 23*, De jurejurando. Ubi expresse deciditur quod licet quis juraverit certam ducere uxorem, eam ducere non teneatur, si post juramentum mulier illa meretrix, vel leprosa, aut paralytica fieret, aut oculos, vel nasum amitteret, seu quidquam ei turpius eveniret, ibi: « Quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio, si videlicet illa in legem conjugii non peccaret... Quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet contra regulam desponsationis non venerit, » etc. Et sic expresse tenet ibi Glossa, verb. *Conditio*, plurimas adducens similes conditiones in juramentis tacite subintellectas, et in utroque jure tum canonico, tum civili admissas.

(8. Etiam testamentum reciprocum seu mutuum factum inter conjuges, seu inter duas aut plures alias personas nulla ratione conjunctas, potest a quovis conjugum, seu quavis ex illis personis pro sua parte libere revocari, etiam inscio vel invito altero conjugis, seu inscia vel invita altera persona.

Sic Gailus, lib. ii, observ. 117, n. 2; Peck, *De testam. conjug.*, lib. i, c. 43; Berlik., in *Aureis decision.*, dec. 92; Mynsinger., centur. 1, observ. 8, n. 5; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 381, et ipso teste communissima aliorum, per text. in cit. leg. *Si quis 22*, De legat. 3, ubi expresse dicitur: « Nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priori (voluntate seu testamento) ei recedere non liceat. » Et ratio est quia « ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum, » textu expresso in l. *Quod si 4*, ff. *De adimendis legatis*; testamentum enim non est firmum, nec effectum aliquem habet, seu nihil valet ante mortem testatoris, ut expresse habetur in *Epistola ad Hebræos ix*, 16 et 17, ibi: *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est*; cap. *Cum Marthæ 6*, De celebrat. missarum, l. *Cum hic status 32*, ff. *De donationibus inter virum et uxorem*, cum similibus.

(9. Et id valet, non solum in casu quo unus conjux seu una ex illis personis jam obiit, sed etiam si ambo vel ambæ adhuc vivant, sive dein alter conjux seu altera persona revocationem sciat et consentiat, sive nesciat et contradicat: valor enim testamenti neutiquam dependere potest a voluntate seu arbitrio alterius, textu expresso in l. *Illa institutio 32*, ff. *De hæredibus instituendis*, ibi: « Nam satis constanter veteres decreverunt testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere. » Sic suprac. doctores cum communi aliorum.

(10. Item id etiam valet, quamvis in una et eadem charta reciprocum seu mutuum testamentum conscripserint seu scribi fecerint. Licet enim una sola sit charta, nihilominus duplex distinctum ac separabile censetur esse, et est testamentum, ita ut quivis de suis bonis præsumatur testamentum fecisse, et consequenter pro sua parte potest denuo libere revocare, per omnia allegata et similia jura. Sic cum communi supralaudati doctores.

(11. Quando una pars clandestine suum revocat testamentum reciprocum, censetur etiam ab altera tacite revocatum et suum, seu prius statim illud exspirasse censetur. Sic Menochius, *De præsumptionibus*, lib. iv, præsumpt. 56, n. 20; Peck, *loc. cit.*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 382, et alii; et ratio est quia hujusmodi reciproca et mutua testamenta censentur et præsumuntur ordinarie facta sub spe et tacita conditione, quod nullus ante mortem alterius testamentum revocare, sed potius unus alteri in eventum mortis tali testamento favere velit. Actus autem agentium non operatur ultra intentionem et voluntatem eorum; leg. *Non omnis 19*, ff. *De rebus creditis si certum petatur*, cap. *Cum olim 37*, *De præbend.*, et actus sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, argum. § *Sub conditione 4*, institut. *De ver-*

bor. obligat., et l. unic., § *Sin autem*, codic. De caducitat. tollend., cum similibus. Idem habetur in statutis Bavaricæ, tit. 3, art. 3, ubi universaliter statuitur quod si unus conjugum testamentum inter eos reciproce factum clandestine revocet, etiam alterius testamentum revocatum censetur, et quidem merito, quia frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, qui fidem a se præstitam servari recusat, textu expresso in cap. *Frustra* 75, De reg. jur., in 6, et concordant cap. *Cum pridem* 4, § *Ille igitur*, De pactis, cap. *Pervenit* 3, et ibi Glossa 2, De jurejurando, c. *Innocens* 23; caus. 22, q. 4, cum similibus. Tum quia sic clandestine revocans suum reciproce testamentum, censetur dolose et fraudulenter agere; fraus autem et dolus nemini patrocinari debent, c. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, De rescriptis, c. *Tua* 12, De clericis non residentibus, c. *Intelleximus* 7, De judiciis, ibi: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare; » l. *In fundo* 38, ff. *De rei vindicat.*, leg. *Cum his* 8, ff. *De transact.*; l. *Non fraudantur* 134, ff. *De regul. jur.*; l. *Si legatarius* 25, cod. *De legatis*. Si vero, ut prosequuntur statuta Bavarica, loco citato, unus non clandestine sed sciente altero testamentum revocavit, remanet conjugis alterum testamentum in suo valore, si post revocationem ab altero factam tandiu adhuc vixit, quod etiam ipse suum testamentum facile revocare vel mutare expresse potuisset, et tamen non fecit. Ipse enim in tali casu videretur cessisse juri suo, ut quilibet potest, textu expresso in c. *Si de terra* 6, De privilegiis, ibi: « Cum liberum sit unicuique juri suo renunciare; » et concordant cap. *Si diligenti* 22, De foro competenti, leg. *Si iudex* 41, ff. *De minoribus*; leg. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*.

(12. Testamentum reciproce seu mutuum inter conjuges seu alias personas fieri potest oretenus et in scriptis in una vel diversa charta, eodem vel diverso tempore, coram iisdem vel diversis testibus; ita tamen quod si in eadem charta et coram iisdem testibus fiat, uterque conjux seu utraque persona illud signare, et subscribere, ac testes ad ferendum testimonium rogare seu requirere debeat; et ipsi testes in subscriptione, non tantum proprium nomen, sed etiam illud utriusque conjugis, vel personæ separatim ac specificè exprimere debeant. Et sic uterque conjux, seu utraque persona necessario debeat rogare seu requirere testes casu, quo coram iisdem testibus eodem tempore simul testamentum reciproce seu mutuum oretenus ab ipsis fiat. Gailus, lib. II, observat. 117, n. 1; Schmidt, ad tit. 34, art. 12, n. 1 seq.; Jul. Clar. § *Testamentum*, n. 1 et seq.; Molina disp. 152, n. 1 et seq.; Reiffenstuel, loc. cit., n. 371, et ipso teste, communis aliorum, arg. leg. *Licet* 19, cod. *De pactis*; l. *Eo quod*, cod. *Si certum petatur*; l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testament.*, leg. *Singulos testes* 30, ff. *Qui testamenta facere possunt*. Et ratio est, quia licet uterque conjux seu utraque persona coram iisdem

testibus eodem tempore simul testamentum reciproce oretenus condatur, seu in una et eadem charta suam testamentariam voluntatem exprimat, duplex tamen testamentum est, cum quis tantum de sua substantia testetur. Berlick, in *Aureis decisionibus*, decis. 92, num. 4; Gailus, loc. cit.; Mynsinger, centur. 1, observat. 8, n. 6; Reiffenstuel, l. cit., n. 371, et alii communiter; arg. l. *Servi electione* 5, § 2, ff. *De legatis* 1, cum similibus.

(13. Testamenta reciproca, seu mutua inter conjuges, vel alias personas possunt confici his, vel aliis similibus formulis. Siambo conjuges simul v. g. in eadem charta suam reciprocam testamentariam voluntatem scribant, vel scribi faciant, poterunt hujusmodi verbis uti: « Nos infrascripti conjuges hisce testamur, quod unus alterum post mortem suam hæredem suum instituat, et institutum velit, vel unus alteri omnium bonorum relinquat usufructum cum hoc onere, quod, » etc. Si vero quis conjux distincte, separatim ac in singulari in eadem charta suam dictam testamentariam voluntatem scribat, vel scribi faciat, poterit uti hujusmodi verbis: « Ego N. maritus hisce testor, quod post mortem meam volo pro hærede mea habere, seu hæredem meam instituo dilectissimam uxorem meam N. vel lego eidem bonorum omnium, vel certorum usufructum, etc. » Et sic vicissim uxor voluntate mariti integre expressa ac scripta subjungit: « Et ego N. uxor reciproce post mortem meam volo pro hærede habere, seu hæredem meum instituo dilectissimum maritum meum N. vel lego eidem usufructum, etc., vel hoc, vel illud, » etc. Hac etiam alia forma, vel simili uti poterunt duo conjuges, seu duæ aliæ personæ mutuo consensu volentes se reciproce hæredes instituire, seu reciproce sibi aliquid legare: « Si ego N. ante te N. decessero, hæreditatem omnium bonorum meorum ad dies tuæ vitæ tibi N. lego, etc. » Et alter reciproce: « Si ego N. ante te N. obiero, te N. quoque hæredem omnium bonorum meorum instituo, aut hoc, vel illud tibi N. lego, » etc. Idem etiam in separatis duabus chartis, vel etiam oretenus præstare poterunt, dummodo semper illud signent et subscribant, ac testes ad ferendum testimonium rogent, seu requirant, ut dictum est supra n. 12, arg. leg. *Licet* 19, cod. *De pactis*; leg. *Eo quod* 10, cod. *Si certum petatur*; leg. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*; leg. *Singulos testes* 30, ff. *Qui testamenta facere possunt*. Et est hic advertendum quod non refert, an conjuges seu aliæ personæ æqualiter, vel inæqualiter se invicem instituant, uti cum aliis ex jure, et praxi ostendit ac probat Berlick, in *Aureis decisionibus*, decis. 92, et sequitur Reiffenstuel, loc. cit., n. 371.

(14. Quoad reciproca testamenta conjugum est specialiter notandum, quod tunc maxime fieri solent, et possunt, quoad hæreditatem, seu usumfructum omnium bonorum, quando conjuges filiis carentes hæredem necessarium non habent. Si vero filios,

seu hæredes necessarios habeant, possunt quidem se reciproce hæredes seu usufructuarios instituere; sed tamen in hoc casu, ut eorum reciproce testamentum subsistat, debet necessario relinqui filiis seu hæredibus necessariis legitima sine onere, et quidem ex titulo hæredis tradenda statim post mortem patris seu matris, et quoad proprietatem, et quoad usumfructum, ut docent communiter doctores per text. in authentic. *Novissima lege*, et l. *Quoniam* 32, ac l. *Scimus* 36, c. *De inofficioso testamento*, et novella 18, c. 3 ac cap. *Rainucius* 16, De testamentis. Unde si unus conjugum cæco ductus amore alteri usumfructum omnium bonorum ad dies vitæ suæ in testamento universaliter legaret vel relinqueret, adhuc censendus esset exceptus usufructus legitimæ, ita ut exstantes post mortem testatoris filii possent a patre vel matre, cui usufructus omnium bonorum relictus esset, petere statim, secuta dicta morte, legitimam una cum usufructu, ut tradunt communiter doctores per citata jura, et signanter per dict. novellam 15, cap. 3, ubi id expresse statuitur. Legitima enim debita filiis non dependet a voluntate parentum, sed procedit a jure naturæ, canonico et civili, l. *Cum ratio* 8, De bonis damnator., cap. *Rainucius* 16, De testamentis, ibi: « Legitima portio jure naturæ debita, » juncto ejus summario, in quo sic expresse habetur: « In bonis patris, matris et aviæ habet quis debitam jure naturæ legitimam, in qua gravari nequit. »

(15. Testamentum revocari potest, et verbis, et factis. Communis, arg. l. *Sancimus* 27, et l. *Nostram* 20, cod. *De testamentis*; l. *Quæ in testamento* 1, et l. *Cancellaverat* 2, ff. *De his quæ in testamento delentur*; l. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstant*, cum similibus.

(16. Revocatio testamenti facta nudis verbis, ut sit valida, duo copulative requirit, nempe: 1. Ut coram tribus testibus, aut coram actis, seu apud acta fiat. 2. Ut elapsum jam sit decennium a tempore conditi testamenti; si enim una ex his duabus conditionibus deficiat, revocatio verbalis est nulla. Sic contra Martinum, Covarruviam, et alios, Alexander in l. *Sancimus* 29, cod. *De testamentis*, n. 8; Jul. Clar., § *Testamentum*, qu. 91; Fulgosus, in cit. l. *Sancimus*; Fachin., lib. IV, controvers. 8; Reiffenstuel, loc. cit., n. 743 et 745, testans quod hæc sententia sit communior et juri conformior, per expressum et clarum textum in l. *Sancimus* 27, cod. *De testamentis*, et concordant l. *Militis* 36, § 3 ff. *De testamento militis*, et § *Ex eo* 7, instit. *Quibus modis testamenta infirmantur*.

(17. Testamentum censetur vere revocatum factis, nedum per validam alterius posterioris testamenti confectionem, sed etiam per ipsius cancellationem, deletionem, incisionem, lacerationem, inductionem, corruptionem, exustionem, vel alio simili modo a testatore, vel ejus mandato ab alio serio seu consulto factam. *Communis*, per claros

et expressos textus in l. *Quæ in testamento* 1, l. *Cancellaverat* 2, l. *Proxime* 3, et l. *Pluribus tabulis* 4, ff. *De his quæ in testamento delentur, inducuntur vel inscribuntur*, l. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstant*, l. *Nostram provisionem* 38, cod. *De testamentis*, cum similibus. Et ratio est quia ex hujusmodi actionibus seu factis, sufficiens habetur signum mutatae voluntatis testatoris, argum. cit. l. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstant*, ibi: « Quia voluntatem testator mutavit, » et cit. leg. *Nostram provisionem* 30, c. *De testamentis*, ibi: « Ulpote ejus voluntate mutata. »

(18. Non censetur autem testamentum revocatum factis, si supradictæ actiones et aliæ similes fiant inconsulto, fortuito aut præter voluntatem testatoris, dummodo hæres institutus adhuc legi possit. *Communis*, textu expresso in cit. leg. *Quæ in testamento* 1, ff. *De his quæ in testamento delentur*.

(19. In dubio, an testamentum consulto aut inconsulto fuerit cancellatum seu deletum: præsumendum est deletum consulto, si testamentum servabatur apud testatorem; secus vero si alibi. Mantica, *De conjectur. ultim. volunt.*, lib. XII, tit. 1, n. 28; Bruneman., ad leg. 12, cod. *De testament.*; Zoesius, l. I, caus. 2, n. 1; Reiffenstuel, loc. cit., n. 754, cum aliis ibi allegatis.

(20. Si testator omnem scripturam testamenti cancellavit, etiam quoad legata censetur revocatum, leg. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*, leg. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstant*, l. *Nostram provisionem* 30, cod. *De testamentis*, et doctores passim.

(21. Imo etiamsi testator non totam scripturam testamenti cancellaret, sed solum aliquid substantiale, sine quo ultima voluntas consistere nequit, ut si consulto deleat nomina testium, aut infringat, aut auferat sigilla, totum testamentum etiam quoad legata censendum est revocatum, quia in tali casu merito præsumitur totam mutasse voluntatem ac intestatum decedere voluisse. Arg. ex *citatis juribus*; Dauth., l. 21, cod. *De testamentis*, n. 17; Roc., disp. 37; Struv. *Syntagma jur. civil.*, exercit. 33; Reiffenstuel, loco cit., n. 749, et alii.

(22. Si testator consulto cancellaverit in testamento solum nomen unius ex pluribus hæredibus, testamentum non censetur revocatum quoad alios, sed ille solus erit exclusus, alii vero non, et tota hæreditas debet hereditibus non deletis, l. *Cancellaverat* 2, ff. *De his quæ in testamento delentur*; Castrensis, in l. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*; Gilken., in leg. *Nostram* 30, n. 6, cod. *De testamentis*; Mantica, *De conjectur. ultim. volunt.*, lib. XII, tit. 1, n. 21; Reiffenstuel, loco citato, n. 750, et ipso teste, communis aliorum; et ratio est quia nemo partim testatus, partim intestatus decedere potest. L. *Jus nostrum* 7, ff. *De regul. juris*.

(23. Si autem testator consulto deleverit